





1. *Musei s. Joh. diff. in Exist. an Romanos* Cap. IX. v. 19 = 23. *Jene 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena.* *Jene 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesie.* *Jene 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis,* *Jene 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo,* *Helms. 1669.*

Disputatio decima octava & ultima

EX EPISTOLA

PAULI AD ROMANOS,

complectens ἀνάλυσις capitis de-
cimi sexti.

*Cujus positiones divina adjuvan-
te gratia*

PRÆSIDE DAVIDE

RVNGIO SACRÆ THEO-

logiæ Doctore & Professore in Academia

VVitebergensi, in Collegio disputatio-

num Theologicarum privato

defendet 17. Septemb.

M. CONRADUS RÜHELIUS,

VVitebergensis.



VVITEBERGAE,

Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1597.



REVERENDA
DIGNITATE; STEMMATIS
antiquitate magna; virtutum propria-
rum nobilitate cordata
conspicuo,

*Dn: IOHANNI LÖSER, Domino in Pretsch:
Cathedralis, apud Naumburgenses, Ecclesie Decano:
Electoatus Saxonici Marscallo hereditario:
Iudicij curialis V Vittebergici assessori:*

Domino ac patrono suo magno:

*Observantia ergo
offert*

M. Conradus Rühel.

CAPVT XVI.



Distremum caput Epistolæ Pauli ad Romanos conclusionem totius Scripti complectitur, in quinque partes distributam. Primò enim Romanis Phæben commendat: Deinde plurimos in ea Ecclesia præ reliquis conspicuos viros nominatim salutatur: Tertio, de cavendis hæreticis Schismaticis & scandala præbentibus monet: Quarto aliquot salutationes piorum, qui Corinthi cum Apostolo fuerunt eisdem ascribit: Quintò denique voto pio & hoc caput & totam Epistolam claudit, Singularum partiũ ἀνάλοσις continuata expositione subiiciemus.

Totũ caput est ἐπιλογικόν.

In prima parte commendat Phæben Ecclesiæ Cenchreenis ministram vel diaconissam, de quo ministrantium ordine loquitur 1. Tim. 5. Apostolus. Hæc aliorum fortè negotiorum gratia Romam profecta Epistolam hanc Ecclesiæ Romanæ attulit, eique diligenter commendatur à meritis illius in omnes sanctos & præcipuè in Paulum.

In secunda parte capituli salutatur Apostolus multos nominatim in Ecclesia Romana, hoc ipso ostendens se gratam memoriam eorum retinere in precibus suis: Est enim salutio illa voti genus. Singulos autem pro meritis laudat vel commendat strictim, ut Priscillam & Aquilam vocat cooperarios suos, Epenætum dilectum, Andronicum & Iuliam cognatos concaptivos, nobiles inter Apostolos: Vbi vox Apostoli lata significatione usurpatur, & viris benè meritis de Ecclesia & fideliter Evangelium annuntiantibus tribuitur. Sic & reliquos aliquo ornat elogio, benevolentia & honoris gratia. Ac tandem salutationes concludit his verbis *Salutate invicem in osculo sancto*: hoc est, corde sincero & mutua dilectione ardente, cuius symbolum est osculum, non fallax quale fuit Iudæ, sed sanctum. Transfertur autem metaphora à Iudæorum consuetudine, inter quos amici & noti se invicem osculo salutare consueverunt.

Salutio est votum.

Apostoli vox late sumta.

Osculi salutio.

In tertia parte capituli proponitur commonefactio de cavendis duobus hominum generibus, maximè Ecclesiæ tranquillitati & honestati servientium: Sunt autem 1. hæretici & schismatici. 2. scandalorum autores. Priores sunt, qui vel pravæ opinionum disseminatione, vel immutatione rituum, aut novarum

Hæretici & Schismatici.



quæstionum intempestiva & inutili agitatione διχουσαίᾳ excitant, & Ecclesiam pacatam conturbant & dissipant : Alterum genus eorum est, qui scandala excitant vel libertatis Christianæ abusu, de quibus prolixè dictum est capite 14. & 15. Vel etiam pravitate vitæ & morum præter doctrinam Christianam alios offendunt : Utrosq; vult vitari. Significat autem ἐκκλίνεθ cum quodam odio averfari personam, & declinare à doctrina & moribus ejus, & tribuitur hominibus omnibus respectu naturalis corruptionis, secundum quam à Deo declinârunt, odio ipsum habentes & pessimè viventes, Rom. 3, v. 12. Propositio igitur
 » hujus partis est : Hæreticos Schismaticos & scandala commit-
 » tentes fugite.

Quare hæretici fugiendi.

Rationes confirmationis partim à Romanorum conditione, partim à descriptione personarum fugiendarum desumuntur :

1. Prima : Hæretici Schismatici & scandalorum architecti non serviunt Christo, sed ventri suo, avaritiæ, libidinibus : Ergò turpè vobis erit cum ejusmodi hominibus conversari.

2. Secunda : Tales qui sunt, per dulces sermones & assentationes seducunt corda innocentium, Fugiendi igitur tanquam viperæ.

3. Tertia : Vestra fides & obedientia divulgata est in omnem locum, & Ecclesiæ vestræ puritas & sinceritas ubique prædicatur, ita ut de vobis gaudeam : Quare non decet vos hæreticorū, aliorumq; similium consortio & consuetudine uti.

4. Quarta : Est hæc non minima pars ejus sapientiæ, quam Christus requirit in suis, dum vult prudentes esse, ut serpentes, & simplices sicut columbas, fugere nimirum eorum conluetudinem, à quibus tum singuli, tum universum Ecclesiæ corpus maculam quandam & periculum possint contrahere. Velim igitur vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.

5. Quinta ratio, Tales viri nimirum, hæretici schismatici & scandalis deformati, sunt mancipia Satanæ, qui varijs artibus Ecclesiæ & singulorum conscientiæ ac famæ insidiatur : Sunt igitur fugiendi. Hæc ratio figurata est voto, idq; propter occupationem tacitam, qua dicere poterant Romani : Quis nostrum ejus est prudentiæ, ut possit Satanæ effugere artes & tela : ided addit Apostolus : Deus pacis conterat Satanam sub pedibus vestris brevi.

Diabolus virtute Dei subicitur hominib9.

Quarta

Quarta parte redit vicissim ad salutationum officium, ascribens Romanis salutem & preces piorum, qui in Achaja & Græcia secum fuerunt, inter quos est Timotheus & Tertius Epistolæ hujus Scriptor, Pauli amanuensis, Gajus hospes Apostoli. Et hanc partem inchoat & claudit usitato voto suo, Gratia Domini nostri Iesu sit cum omnibus vobis.

Quinta & postrema pars capituli continet totius Epistolæ conclusionem constantem *δοξολογία*, cujus summa est: Deo Patri per Christum sit gloria in secula seculorum, Amen.

Illustrat hanc clausulam primò duobus insignibus Epithetis, dum eum solum sapientem vocat, & qui possit Romanos confirmare per Evangelium de Christo Iesu. Secundò facta Evangelij mentione subjungit illustrem ejus descriptionem: Quod videlicet sit prædicatio de Iesu Christo, continens revelationem mysterij temporibus æternis absconditi, & nunc in tempore patefacti per scripturas Prophetarum, instituta ad mandatum Dei, ut omnes gentes fidei obediant: Ita concluditur ab Apostolo tota Epistola, ut hoc Epiphonemate lectori argumentum totius doctrinæ Evangelicæ, ejusque dignitatem longè maximam inculcet.

Definitio Evangelij Paulina.

Ex hac analysi capituli ultimi Epistolæ ad Romanos duo breviter in quæstionem vocare libet:

- I. De Primatu Ecclesiæ Romanæ & Episcopi ejusdem.
- II. De tractandis hæreticis.

DE PRIMATU ECCLESIAE ROMANÆ.

I.

Multa disputant Pontificij Scriptores de Ecclesiæ Romanæ Primatu, quam omnium quæ in tota terrarum orbe sunt Principem, doctrinæ magistram *ἀνυπεύθυνον*, imò caput Oecumenicæ Ecclesiæ esse dicunt: Et hoc dogma tanquam articulum fidei & fundamentum Pontificiæ idolomanias præcipuum multis voluminibus defendunt.

Vide Bellarmini disputat. cont. 3. generalis.

II.

Mirari verò non ineptè quispiam possit, qui factum sit, quòd in omnibus scriptis Prophetis & Apostolicis tam altum sit de

Scriptura hoc articulo fidei silentium, præsertim cum tam multa Christi hoc caput dicta & facta sint ab Apostolis consignata. Si enim Christus doctrinae dixit ac voluit Ecclesiam Romanam totius mundi caput ac magistratam esse: Et Lucas de omnibus Christi dictis & factis maxime ignorat. Luc. 1. necessaria describens hujus rei ne verbulo quidem meminerit: Act. 1. Consequitur à Christo hoc dogma nunquam traditum esse.

III.

Quare Romana Ecclesia præ cæteris fuerit nobilis. Est & hoc admiratione non indignum, quod Paulus in tam proluxo catalogo salutationum de prærogativa illa Ecclesiæ Romanæ ne gry quidem habeat, & quanquam fidem Romanorum prædicari ait in toto mundo, quod partim propter personarum splendorem, partim propter loci celebritatem, contingebat: Tamen eam Magistratam fidei nunquam appellat.

IIII.

Origo primatus loci, est ex primatu personæ, ex Papistarum sententia. Fingunt hanc prærogativam Ecclesiæ Romanæ ex prærogativa Petri de reliquis Apostolis originem trahere: In quo figmento duplex est error: Primò enim per petitionem principij id de primatu Petri assumitur, quod est in quæstione. Secundò, Si maximè id extra controversiam sit, tamen ineptè proceditur à persona & officio Petri extraordinario & Apostolico ad Papam larvatum, qui se Petri nominat successorem.

V.

Ordo inter Apostolos. Gal. 2. Etsi enim nos quoque fatemur inter Apostolos Christi quandam fuisse ordinis rationem, & Petro quidem tanquam donis antecellenti collegas, prærogativam quandam non derogamus: Tamen eam talem esse aut fuisse, qualem Papistæ nugantur, negamus & pernegamus.

VI.

Neque enim Petrus constitutus fuit unius Urbis, nedum totius orbis Episcopus, ut fabulatur Bellarminus, nec is solus accepit claves regni cælorum, nec is solus habuit potestatem interpretandi scripturas, aut testimonium *ὁ ὅσος ὁξίας*; quòd in doctrina errare non potuerit, sed hæc omnia fuerunt Apostolis communia. Matth. 18. Ioh. 20.

VII.

Quomodo Papa à Petro distat. Quòd si maximè hæc Petro tribuantur, qua ratione ea ad Papam Romanum dignitas, virtus, potestas, perveniat, quærere lubet? Respondet Bellarminus, Quia Petrus fuit Romanus Episcopus,

scopus, & quilibet Papa est Petri successor: Ergo &c. O insignē *ignitatem*
nugatorem. Fuit Petrus quoque Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, *acceperit*
pus, Ergò Antiochena est omnium magistra,

VIII.

Hic instat adulator & mancipium Papæ: Sed Petrus Romæ
est mortuus. Esto sanè, quid inde sequitur? Ergò potestatem su-
am ac doctrinæ magisterium, ordinis & domini primatum reli-
quit moriens successori suo. Hoc si petas tibi probari, quod vi-
delicet Petrus id facere vel potuerit vel debuerit, quod item ex
loco mortis Petri & successionis Paparum, tale quid consequatur,
piscis mutiores sunt fraterculi nostri.

IX.

Iohannes Apostolus aliquot annis vixit post mortem Petri, *Exemplum*
Quarto enim anno Trajani Imperatoris, qui incidit in annum à *Iohannis*
Christo nato nonagesimum nonum, eum obiisse Ephesi, autor est
Eusebius lib. 3, cap. 23, 24. & sequent: Petrus verò ultimo Ne-
ronis Romæ crucifixus scribitur, teste Eusebio lib. 2, cap. 25. &
lib. 3, cap. 2. Is est annus Christi septuagesimus. Ita inter mortē
duorum Apostolorum Petri & Iohannis intercedit intervallum
novendecim annorum.

X.

Hic quærimus ex fraterculis Esaviticis, num post Petri obi- *Iesuitæ su-*
tum universalis Episcopus fuerit Iohannes Apostolus, an verò *um Papæ*
Petri successor Linus? Si hunc respondent fuisse magistrum do- *preferunt*
ctrinæ supremum, neglecto Apostolo, quis non animadvertit *Iohanni*
scutica digniores eos esse, quàm refutatione, *Apostolo.*

XI.

Si Iohannis Apostoli major fuit dignitas in Ecclesia, & qui-
dem suprema, uti certè fuit, (nisi fortè Papæ Romani etiã Apo-
stolis velint superiores haberi) consulendi sunt iterum Monachi
isti, incrustatores meretricis Babylonice, num liceat sic argu-
mentari à loco mortis ad successorem.

XII.

Iohannes Apostolus Ephesi mortuus est, habens tum tem- *Idem pri-*
poris supremam autoritatem, & testimonium quòd in doctrina *vilegiū de-*
errare non potuit: Ergo Ephesini Episcopi illius successores ha- *betur suc-*
bent Apostolicam autoritatem, habent etiam testimonium, quòd *cessori Ioh-*
in doctrina non errent, *annis,*
quod arro-
gant sibi

Has *successores*
Petri.

XIII.

Has & similes conclusiones si Iesuitæ agnoscunt falsas esse, suâ quoq; de Petri successione & morte his accensebunt opinor, aut nobis rationem diversitatis monstrabunt, qui fiat, quòd Petrus talem auctoritatem successori suo reliquerit, Iohannes non: Num invidia aut oscitantia quadam id fuit factum?

XIIII.

Iohannes Apostolus non remittit ad Papam. Adde quod nusquam Iohannes scribens contra Antichristi Orientalis præcursores, negantes Christi divinitatem, & Spiritu prævidens Ecclesiæ infinitas confusiones, nusquam dicat de Ecclesiæ Romanæ prærogativa, neq; ableget homines veritatis cognoscendæ cupidos Romam, sed ad scripta Evangelistarum & Apostolorum: Hæc scripta sunt ut credatis, inquit: Potuisset autem brevissimè expedivisse negocium, si dixisset: Christus constituit Episcopum Romanum doctrinæ magistrum habentem omnia jura in scrinio pectoris: Hunc audite,

XV.

Paulus nõ salutatur Petrum, Ergo is tempore scriptæ Epistolæ Romanæ non fuit. Paulus quoq; nescius fuit hujus Papistici articuli, alio qui in hac sua ad Romanos Epistola, præsertim verò in hoc capite prædicans illorum fidem & obedientiam, potuisset simul monuisse de adventu Petri (nam eum tum nondum venisse Romam manifestè patet ex hoc capite, in quo nulla eius mentio) dequè illo doctrinæ & dominij primatu. Sed hoc doctrinæ Pontificiæ caput nondum scilicet natum erat isto tempore, nisi quod mysterium iniquitatis Satanas clam & pedetentim operari cœpit, teste eodè Apostolo 2. Tessal. 2.

XVI.

Elogia Papæ. Concludimus itaq; frivolum & ineptum esse figmentum adulatorum monstri Romani, quòd Ecclesiæ Romanæ Episcopus sit universalis totius Ecclesiæ gubernator, Christi Vicarius, doctrinæ Christianæ supremus censor, qui à nemine, ne quidem à Concilio judicari debeat, & in doctrina errare non possit.

XVII.

Nos contra affirmamus, Papam Romanum esse Antichristum, Ecclesiæ tyrannum & vastatorem, Satanæ Vicarium, doctrinæ Christianæ sceleratissimum corruptorem, communi totius orbis iudicio evertendum, qui doctrinam Ecclesiæ in præcipuis capitibus perfidè depravat, & quotidie multa millia animarum miserimè

miserrimè seducit. Hujus theses probationem luculentiorē differemus $\sigma\omega\theta\epsilon\omega$ in alium locum, nunc satis sit summa capita attigisse.

Quomodo tractandi sint heretici & Schismatici.

I.

Pontificiæ fidei articulus etiam hic est: Hæreticos ferro, igni, aqua, resti, equuleo torquendos & excidendos esse. Probè sanè: Non potest enim alia compendiosior via aut methodus confutandi hæreticos inveniri hac, quæ orta est ex principio $\nu\epsilon\kappa\theta\omicron\varsigma$ & $\delta\acute{\alpha}\nu\eta\epsilon$. *Methodus Papæ in tractandis hereticis.*

II.

Subscribunt huic placito etiam Calviniani, qui reipsa hanc sanguinis humani sitim ostenderunt in Anglia & Gallia, & scriptis libris defenderunt; ut planè metuendum sit, ubi in Germania vires paulò majores secta hæc nacta fuerit, certam cædem orthodoxis Pastoribus & Doctoribus ab illa gente non minus, quàm ab Esaitica, imminere. *Vide Beza lib. de hæreticis etc.*

III.

Quæstionem itaq; dicimus bifariam accipi posse: Alia enim ratio est, si de Ecclesiastica censura sermo est, alia verò quando de cura magistratus in negotio religionis agitur. Et quod ad posteriorē considerationem attinet, dictum de ea est in explicatione capituli decimi tertij th. 40. de Magistratu & sequentibus. Nunc igitur de priori breviter acturi sumus. *Duplex in hæreticos censura.*

III.

Loquitur Apostolus hoc loco generaliter de his, qui $\delta\iota\chi\omicron\sigma\alpha\sigma\iota\alpha\varsigma$, hoc est, dissensiones faciunt: Estq; nomen $\gamma\epsilon\nu\iota\kappa\omicron\nu$, completens sub se $\acute{\alpha}\iota\gamma\acute{\epsilon}\sigma\epsilon\varsigma$ & $\chi\iota\sigma\mu\alpha\tau\alpha$: Vnde in Epistola ad Gal. 5. v. 20 $\delta\iota\chi\omicron\sigma\alpha\sigma\iota\alpha$ $\tau\grave{\eta}$ $\acute{\alpha}\iota\gamma\acute{\epsilon}\sigma\epsilon\varsigma$ jungitur. Significat autem appellatio græca propriè seditionē, quando hi, qui antè uni⁹ erant sententiæ, scinduntur, & in diversas abeunt, seq; mutuis odijs prosequuntur. *$\delta\iota\chi\omicron\sigma\alpha\sigma\iota\alpha$.*

V.

Tales $\delta\iota\chi\omicron\sigma\alpha\sigma\iota\alpha\varsigma$ & publica scandala pugnancia cum doctrina cœle-

B

na cœle-

*Descriptio
hæretico-
rum.* na cœlesti ait Apostolus, excitari in Ecclesia ab his, qui non Chri-
sto, sed ventri suo serviunt, Rom. 16. v. 18. Vel ut Phil. 3. v. 18.
dicitur, qui ventrem pro Deo habent, hoc est, omnia consilia &
facta sua metiuntur utilitate, inani gloria, commoditate & alijs
terrenis bonis, nec spectant in ministerio gloriam Dei & Eccle-
siæ ædificationem. Hinc Petrus vocat eos negociatores, 2. Epist.
2. vers. 3.

VI.

*Blandilo-
quentia
hæretico-
rum.* Deinde eisdem tribuit Paulus *χρησολογίας καὶ εὐλογίας*. Qui-
bus significat, hæreticorum & turbatorum Ecclesiæ morem esse,
iucunda & blanda oratione hominum animos sibi devincere,
Petrus vocat *πλῆσθς λόγος*: Pollicentur enim auditoribus suis
faciliorem & certio rem rationem consequendi æternam salutē,
& sinceros Doctores Ecclesiæ atrocium icelerum & errorum re-
os agunt.

VII.

NB. Deniq; ab his, ait, decipi corda eorum, qui minimè mali sunt:
Differunt Discernit perspicuè Paulus Seductores à seductis: Et horum qui-
seducti & dem numero plurimos *ἀκάκως* esse confirmat, qui nulla malitia,
hæretici. aut dissentendi & contendendi libidine seductoribus assentiun-
tur, sed simplici corde errant.

VIII.

*Observa-
tio requi-
rit curam
& atten-
tionem.* Hæretici igitur & seductores ejus mali quomodo sunt tra-
ctandi in Ecclesia? Duo capita & præcepta assignat textus no-
ster: *σκοπεῖν καὶ ἐκκλινῆν*. Primum pertinet ad diligentiam sin-
gulorum Christianorum excitandam & excutiendam securitatē
& ignaviam, qua multi torpent, parum de veritate aut Ecclesiæ
unitate solliciti: Vult Spiritus observari, & inquisitione facta in
ministerorum Ecclesiæ doctrinam & vitam, & quasi communi ju-
dicio Ecclesiæ notari improbos seductores, ut agnosci queant.

IX.

Alterum pertinet ad executionem: Si enim deprehensi fue-
rint, vult eos declinari. Hoc membrum alibi plenius explicatur.
Præmittenda est enim una atq; altera admonitio, Tit. 3. ver. 10.
Hæreticum hominē post unam & secundam correptionem fuge.

X.

*Caverede-
bent etiam
auditores.* Vtrumq; complectitur Christus voce cavendi, Matth. 7. Ca-
vete à Pseudoprophetis: ut autem caveri queant, agnosci prius
cos

eos necesse est, idq; ex doctrinae fructu. Agniti autem, fugiendi sunt, hoc est, non habenda illis fides, nec audiendi ut Ecclesiae doctores: Sic Christus ipse hoc interpretatur, Matth. 24. v. 26, Nolite credere, nolite exire: Vult itaq; hanc diligentiam omnibus Ecclesiae civibus communem esse.

XI.

Sunt igitur tres gradus ad disciplinam Ecclesiae pertinentes in tractando haeretico observandi: Primus est *σκέψις*, diligens observatio & inquisitio ex certis notis petenda, ne videlicet innocentes pro reis habeantur, vocati in suspicionem corruptae doctrinae ab improbis calumniatoribus.

Tria in hoc negotio servanda.

1.

XII.

Secundus est *ὑπεδείξις*, correptio & admonitio includens utrumq; membrum, videlicet *ἔλεγχος* falsae doctrinae, & *ὑπεδείξις* seu correptionem facti pravi & incepti. Sunt enim ex firmis Scripturae fundamentis errores publice monstrandi, & haec illorum audacia corrumpendi praclarum depositum sanae doctrinae serio reprehendenda.

2.

XIII.

Et vult quidem Apostolus ejusmodi *ὑπεδείξις* non modo esse *μίαν*, sed etiam *διωτέραν*: vult illi spacium dari ad meditandum & considerandum periculum suum & Ecclesiae. Requirit etiam in orthodoxis ministris, ut aliquandiu morosos istos novorum dogmatum inventores serant, 2. Tim. 2. v. 25.

Si altera admonitio ergo mora intercedit.

XIV.

Tertius denique adversus insanabilem perturbatorem gradus est *τὸ παραιεῖν*, ut Tit. 3. v. 10. vel *ἐκκλίνας*, ut hoc loco: de cujus verbi vi dictum est in paraphrasi. Significat autem inter alia *παραιεῖν* recusare & repudiare: unde de repudio matrimonij usurpatur a Graecis, quando maritus conjugem domo eijcit, & plane abdicat.

3.

XV.

Est igitur hic ultimus & supremus gradus censurae Ecclesiasticae, tam ad auditores, quam ad Ecclesiae doctores spectans: utriq; enim conjunctim exequuntur hoc decretum Apostoli, illi dum non audiunt nec credunt docenti: Hi dum pertinacem sectatorem & turbatorem domo Ecclesiae eijciunt, sive ut alias loquimur, excommunicant.

Executio Ecclesiastica partim est auditorum, partim doctorum.

B 2

Quid 1. Cor. 5.
2. Cor. 7.

XVI.

Processus
Matth. 18. Quid enim excommunicare sit, Christi phrasis ostendit, Matth. 18. interpretantis excommunicationem his verbis: Sit tibi velut Ethnicus & Publicanus. Potest enim totus ille processus, quem Christus dicto describit, & qui ad privatos offensos potissimum spectat, huc quoque non ineptè accommodari.

XVII.

Hereticus
excommu-
nicandus. Ut autem Iudæi non habebant mandatum Dei de delendis Ethnicis, sed eos permittebant iudicio Dei & societate congressuum suorum excludebant: Sic neque Christus, neque Petrus, neque Paulus ullo in loco innuunt, hæreticum hominem ferro, igne vel aqua necandum esse, sed exclusum gremio Ecclesiæ volunt haberi ut Ethnicum & Publicanum. Et Paulus quidem hanc exclusionem vocat actum, quo reus traditur Satanæ ad interitum carnis, ut Spiritus salvus fiat. I. Cor. 5.

Corollarium.

Æterna Dei prædestinatio, doctrina Evangelij & Salvatio differunt, ut decretum & decreti patefactio, & denique ejusdem executio: ut capite undecimo hujus Epistolæ plenius est declaratum.

F I N I S.

AB 22 841 (1)

ULB Halle 3
002 043 793





Sb.

W19

Hilf.







17, 18 15

Disputatio decima octava & ultima

EX EPISTOLA

PAULI AD ROMANOS,

complectens ἀνάλωσιμ capitis de-
cimi sexti.

*Cujus positiones divina adjuvan-
te gratia*

PRÆSIDE DAVIDE
RVNGIO SACRÆ THEO-

*logiæ Doctore & Professore in Academia
VVitebergensi, in Collegio disputatio-
num Theologicarum privato
defendet 17. Septemb.*

M. CONRADUS RÜHELIUS,
VVitebergensis.



VVITEBERGAE,
Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1597.

